

XV. Si ad Hymnum, & Symbolum sedendum fuerit, facta in altari debita reverentia, descendunt unus post alium per viam breviorè à latere Epistolæ, sedent autem capite tecto, quod deregunt, & inclinant ad verba *Adoramus te*: & similia, dum à choro cantantur. Acolythi interim stant ad credentiam in angulis, & hymno completo, sive symbolo, capucia Ministris adaptant: hi autem dum ad altare revertuntur, procedunt per viam longiorè, & ante infimum gradum altaris debitam faciunt reverentiam. Gavant. & alii.

XVI. Dum Celebrans submissè legit Evangelium, nec illud osculatur, nec dicit, per *Evangelica dicta*: sed ea agit, dum sibi à Subdiacono deferitur liber post decantatum Evangelium. *Munda cor meum* dicitur à Diacono genuflexo in Superiori gradu, ibiq; benedictionem petit, & accipit à Celebranteistente quasi in cornu Evangelii, facie ad ipsum versa. Dum Evangelium decantatur, Thuriferarius movet leviter thuribulum versus librum post Diaconum à sinistris: Subdiaconus verò, & Ceroferarii immobiles stabunt, neq; caput unquam inclinant, nec genuflectunt. Decantato Evangelio, Subdiaconus deferens librum Celebranti, non ei inclinat, nec ante altare genuflectit: utrumq; verò præstat, postquam ille librum osculaverit. Idem servandum, si deferatur liber deosculandus alicui Magnati. Jidem.

XVII. Si concio habenda sit, omnino concionandum immediatè post Evangelium, & post concionem dicitur *Credo*: in quo dum cantatur: *Et Incarnatus est*, Ministri sedentes non genuflectunt, sed tantùm profundè inclinant, exceptis diebus Nativitatis Domini, & Annuntiationis B. V. tunc autem extendatur tapete ad pedes eorum, ne vestes sacræ commaculentur.

XVIII. Si facienda sit oblatio populi, omninò fiat immediatè dicto Offertorio ante oblationè hostiæ. Hinc si Sacerdos etià Parochus in Missa etià privata aliquid annuntiaturus sit populo, semper id agat, antequam detegatur Calix.

XIX. Dum Subdiaconus delaturus est calicem ad altare, ei superimponitur ab Acolythis velum à collo sibi pendens: deferit autem per viam breviorè, comitatus ab Acolytho deferente ampullas cum peluicula, quibus super altare depositis, idem Acolythus plicat velum Calicis, & super credentiam deponit.

XX. Dum Celebrans incensat in modum crucis oblata, non movet thuribulum, veluti per quatuor puncta, sed per lineas rectas: ad circulos verò thuribulum depressius ducitur. Quòd autem dicit Rubrica, bis ad sinistram, & semel ad dexteram, intelligitur de dextera, & sinistra Celebrantis.

XXI. Acolythi ministrantes Sacerdoti in lotionè manuum, non genuflectunt, sed debitam reverentiam faciunt ante, & post, quasi osculantes ampullam, & manutergium.

XXII. *Suscipiat* dicitur à Subdiacono. *Sanctus, Sanctus*, &c. à Celebrante, & Ministris, etiam si Subdiaconus patenā teneat. An verò *Benedictus*, qui venit cantari debeat à choro post elevationem calicis, ut præcipiunt Cær. Episc. cæteraq; Cærem. puto, quòd sic, nisi excusèmur nòs Minimi, quia canimus sine notis, unde nimium intercederet spatium inter *Sanctus*, & *Benedictus*. Verùm